4

J. N. J.

DE

COLICA SANGVINEA

SVB

AVSPICIO DIVINO

GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

CONSENSV

PRO LICENTIA

GRADVM DOCTORIS IMPETRANDI

DISPVTABIT

CHRISTOPH. GOTTLIEB BONZ,

Eſslingenſis.

d. XVIII. Octobr. A. O. R. MDCCXXXVII.

ARGENTORATI,

Imprimebat SIMON KÜRSNER, Cancell. Typogr.

SACRI ROMANI IMPERII
LIBERAE CIVITATIS
ESSLINGENSIS MAGISTRATVI
VIRIS
GENEROSIS MAGNIFICIS AMPLISSIMIS EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS PRVDENTISSIMIS
DOCTISSIMIS
DOMINIS
CONSVLIBVS
PRÆTORI
INTIMIORIS
CONSILII MEMBRIS
CONSILIARIIS
TOTIQUE INCLYTI
SENATVS ORDINI

PATRIÆ PATRIBVS
JVSTISSIMIS BENIGNISSIMIS
MVSARVM MAECENATIBVS
ET PATRONIS
GRATIOSISSIMIS
PRO QVORVM INCOLVMITATE VOTA PIA CONSECRAT
ET
SPECIMEN HOC INAVGVRALE
IN SVBMISSÆ OBSERVANTIÆ ET FIDELITATIS PIGNVS
ET VLTERIOREM SVI
SUORUMQUE STUDIORUM COMMENDATIONEM
DEVOTISSIMA MENTE
SACRUM ESSE JUBET
TANTORUM NOMINUM

HVMILLIMVS CLIENS

AVCTOR.

PRÆFATIO.

ABundantia Sanguinis ſeu Plethora, *facta paulo accuratiore penſitatione, a pleriſque Medicorum præcipua variorum graviſſimorumque morborum cauſa agnoſcitur; quod ipſe* HIPPOCRATES *jam obſervavit; dicens libr. de ſanitate tuenda*: Sanguis cum abundat valetudinem vitiat. *Sanguinem autem abundantem non per ſe, ſeu quatenus abundat, ſed quatenus vaſa nimium diſtendit, vires premit, & tardius progreditur aut commovetur, actiones corporis noſtri pervertit, & ita varios morbos infert, intelligimus. Aequilibrio ſolidorum in fluida, a nimia humorum copia, ſublato, circuli Sanguinis progreſſus multum vitiatur, ſuboriuntur facile ſtagnationes humorum, quæ ſi in partibus*

valde nervoſis fiunt, naturam prompte ad ſpaſmos ſollicitant, quibus efficitur, ut inſignes in circuitu ſanguinis anomaliæ, & infenſæ translationes & congeſtiones generentur. A ſanguine congeſto & firmiter in partibus nervoſis, quæ ſenſus exquiſitioris ſunt, hærente, acerrimi dolores & ſæviſſima ſymptomata ingignuntur, ob nimiam canalium à dicto humore dilatationem. Hinc videmus, & quotidiana, pro dolor! experimur experientia, quanta ſit dolorum & ſymptomatum vehementia; ſi quando ſtagnatio ſanguinis altiores radices egerit, in vaſis cerebri meninges percurrentibus, in partibus urinæ ſecretioni dicatis ſcil. renibus, in tortuoſa & vaſculoſa illa uteri ſubſtantia, in ventriculo &c. Præcipue autem ille dolor, quem ſanguis ſtagnans intra tunicas inteſtinorum progenerat, intolerabilis fere eſt, quique Scriptoribus Pathologis Colica Sanguinea *audit. De qua ſpeciminis Inauguralis loco hic agere, animo mecum conſtitui. Verum enim vero, cum & ipſa hæc materia admodum ſit prolixa & ampla, præcipua tantum ejus momenta cenſuræ atque judicio B. L. ſubjiciam. Faxit Supremum Numen, ut omnia feliciter atque in Sui Nominis gloriam cedant!*

§. I.

§. I.

COlicus dolor appellationem ſuam accepit tum a ſymptomate, quod quam maxime urget, tum etiam a parte affecta, ſcil. ab inteſtino colo, quæ vox Latinitate donata Graecis κῶλον audit derivaturque vel ἀπὸ τοῦ κωλάζεσθαι, torqueri, puniri, quia hoc inteſtinum ejusmodi doloribus frequentius affligitur, vel ἀπὸ τοῦ κωλύειν retardare, impedire, quia contenta propter ejus cellulas diutius ibidem commorantur. Dicitur alias etiam affectio & paſſio colica ſimpliciter: MERCURIALI tormina. Germ. Grimmen, Darmgichter. GALENUS quidem *Lib. 2. Meth. Med. Cap. 1.* nominum diuerſitatem, quæ ægritudinibus primi eorum Authores impoſuerunt diligenter inſpiciendam eſſe monet. Attamen quia, PETR. FORESTO Judice, nemo a ſcrupuloſa eorum evolutione curatur, & priſtinæ ſanitati reſtituitur, onomatologiæ ulteriori erunendæ lubens ſuperſedeo. Potius ipſum quem mihi propoſui morbum aggredior, qui nomen ſuum accepit a ſanguine, atque primario in ſpasmodica non Coli tantum ſed vicinarum etiam partium conſtrictione conſiſtit; Hinc de illa Colica tantum ſollicitus ero, quæ intuitu cauſæ ipſius dicitur Sanguinea.

§. II.

Præmiſſa denominandi ratione, ipſum morbum ſic definio. Colica ſanguinea eſt dolor exquiſitiſſimus, majoris vel minoris inteſtini tractus, præſertim Coli,

ut & meſenterii ac partium vicinarum, a ſanguine nimium intra tunicas congeſto, ſtagnante & ſenſiles nerveas tunicas moleſte afficiente, ſolutionemque continui minitante, ortus.

§. III.

Pro ſubjecto & ſede dolorum, omnem inteſtinorum canalem agnoſcimus; ita quidem, ut una ejus parte graviter affecta, totus fere canalis in conſenſum trahatur. Primario vero & plerumque affectum eſt Colon, ſedesque ſive in anfractibus, & flexuris ejus, quæ in hypochondrio dextro pariter ac ſiniſtro ſunt, & parte ejus transverſali prope fundum ventriculi reperitur. Non vero ſolum colon, ſed & alterum ſibi vendicant locum reliqua inteſtina, præprimis jejunum, vaſis ſanguivehis abundans, æque ac meſenterium, utpote nervis, vaſis quam plurimis, plexibusque inſignibus dotatum & cum inteſtinis arcte connexum. Th. Willisius Pathol. Part. II. c. 15. in quibusvis abdominis partibus membranoſis & nerveis, præprimis meſenterii plexibus, non ſemper, nec ſæpius in inteſtino colo ſedem ejus collocat.

§. IV.

Nullam fere partem totius corporis frequentius tam gravibus ſtricturis ſpaſticis expoſitam eſſe, quam ipſum inteſtinorum tractum cum ventriculo, quotidiana experientia comprobatur, quia horum viſcerum canales e vaſis copioſiſſimis, & membranis valde nervoſis,

adeo-

adeoque exquiſitæ ſenſationis, contexti ſunt, & conſenſum cum plerisque corporis noſtri organis habent. Hinc neceſſarium duco, antequam hujus morbi hiſtoriam ſum aggreſſurus, ut brevibus illarum partium, in quibus ut plurimum ſedes morbi collocata eſt, ſitum ſtructuramque exhibeam.

§. V.

Inteſtinorum canalis, licet unicus ſit & continuus, a pyloro usque ad anum protenſus ac mire convolutus atque intortus; attamen pro varietate magnitudinis, conformationis, & uſu diverſo, varia antiquitus nomina accepit. Hinc ab Anatomicis inteſtina dividi ſolent in tenuia & craſſa; Illa vero iterum in duodenum, jejunum & ileum, hæc vero in cœcum, colon & rectum ſubdividuntur. Inteſtinum duodenum tenuium capaciſſimum & craſſiſſimum, enaſcitur ab orificio dextro ſeu inferiore ventriculi, ſeu pyloro, non ut cetera inteſtina tenuia meſenterio adnectitur firmaturque, ſed quam primum a pyloro ortum eſt, oblique deſcendens retrorſum, cui portioni ductus cholidochus & pancreaticus inſeritur, dein verſus renem dextrum, ubi ſub cólo abſconditum latet, reflectitur; huic ſeſe adnectens, ſiniſtrorſum paulum adſcendens, & oblique antrorſum pergens per proceſſum meſocoli transverſi firmatur, atque ita tres anfractus format. Proximum huic & continuum eſt jejunum dictum, occupat totam fere regionem umbilicalem ſuperiorem, colore rubicundiore, valvulis conniventibus,

& vaſis lacteis copioſis conſpicuum ; Ileum vero regionem infra umbilicum, ad ilea & coxas utrinque poſitum eſt, longitudine & colore pallidiore a reliquis diſtinctum, ac deinde in inteſtinum cœcum terminatur.

§. VI.

Cœcum omnium inteſtinorum ampliſſimum, quod ſacculi inſtar propendens una cum appendice vermiformi ad os ileum dextrum ſitum eſt, & caput galli indici, a quo criſta elongatur, fere refert. Colon vero meſcolo maxime adnexum ad latus dextrum adſcendens duodeno incumbit, & ſub hepate occultatum, felleæque veſiculæ adjacet, unde flavo colore tingitur, nec non cum rene dextro firmatur. Deinde format arcum transverſalem, qui ventriculi fundo accumbit, inde ſiniſtro reni ſimiliter alligatur, ibique profundius quam alibi ſitum eſt. Poſt in latere ſiniſtro curvaturam, literæ Romanorum majuſculæ S. ſimilem, decurſu ſuo deſcribit, ſicque inteſtina tenuia circumcingit. In hoc porro obſervare licet, tria ligamenta externa, quæ breviora, illud in cellulas cogunt, ab *Ill.* MORGAGNO Adverſ. Anat. Tab. III. animadverſ. 13. accurate deſcripta, tum ejus valvulam, quæ potius ilei protuberantia & pars eſt; nec non apendiculas adipoſas plurimas ab ejus ſubſtantia propendentes. Rectum ſeu ultimum inteſtinum craſſum valde muſculoſum & adipoſum, a fle-

xura

xura illa coli incipiens, & ultimæ lumborum vertebræ, oſſi ſacro & coccygis annexum, in pelvi, cavitate pinguedine referta, retro veſicam locatum, recta fere via ad anum protenditur ibidemque finitur; circa ejus finem muſculis elevatoribus duobus ac ſphinctere inſtructum eſt.

§. VII.

Inteſtinorum ſubſtantiam ex diverſis tunicis, vaſis omnis generis, glandulisque intertextis compoſitam eſſe; ex Anatomia paret. Tubus hic ex quatuor potiſſimum conſtat tunicis. 1.) membranacea ſcil., ſive communi externa a meſenterio prognata, cujus continuatio eſt: 2.) muſculoſa ex duplici fibrarum ordine, nempe longitudinalium in parte meſenterio oppoſita maxime conſpicuarum, & annularium falſo ſic dictarum, utpote quæ ſegmenta ſaltem circuli conſtituunt, compoſita. *Vid. Ill.* WINSLOVIUS *Expoſit. Anatom. Trait. du bas-ventre §. 94. & 95.* hæc habens: *La ſeconde tunique eſt charnue ou muſculeuſe. Elle eſt compoſée de deux plans, l'un externe & l'autre interne. Le plan externe eſt très mince, & ſes fibres ſont longitudinales. Le plan interne eſt plus épais, & ſes fibres ſe contournent transverſalement autour de la circonference du cylindre inteſtinal. Je ne dis pas, que ſes fibres internes ſoient ſpirales, ni qu'elles forment autant d'anneaux; car elles paroiſſent plûtôt des ſegmens de cercles,*

qui

qui ſont diſpoſés à peu-près comme dans l'Eſtomac & environnent entierement le canal de l'inteſtin. 3.) Nerveo-vaſculoſa, juxta quoſdam Recentiores ſerie fibrarum tendinearum dotata, reliquis amplior, unde rugæ & valvulæ natales ducunt: atque huic arcte adhærente 4.) Villoſa, villis papillarum erectis, & poſt macerationem apparentibus, prædita, cribrique inſtar pluribus foraminulis perforata, hinc percolationis chyli organum eſſe cenſetur. Tres, haſce tunicas, intercedunt contextus celluloſi; unus inter villoſam & nerveam, alter inter hanc & muſculoſam, ultimus denique inter hanc & membranaceam tunicæ celluloſæ RUYSCHII nomine inſignitam.

§. VIII.

Vaſa quibus inteſtina gaudent, ſunt arteriæ, venæ, nervi, atque lymphatica ſeu vaſa lactea. Arterias, inteſtina tenuia, copioſiſſimas a meſaraica ſuperiore, craſſa vero pro maxima parte ab inferiore nanciſcuntur; Illæ inter duplicem meſenterii lamellam decurrentes, pro liberiori ſanguinis ad ſingulas inteſtinorum partes, tranſitu, arcus & inſulas majores & minores formant, quorum maximus ab anaſtomoſi meſaraicæ ſuperioris cum inferiore oritur. E dictis arcubus innumeræ ramificationes, ad inteſtina progrediuntur, atque inter primam & ſecundam inteſtinorum tunicam; varie inter ſe communicando, ſeſeque uniendo,

rete

rete mirabile primum conſtituunt : & ex hocce reti, innumeræ ramificationes inter fibrillarum muſcularium interſtitia decurrentes propagantur; quæ itidem inter tunicam nerveam & muſculoſam rete mirabile alterum aſt ſubtilius efformant ; ultimum in ſuperficie externa tunicæ villoſæ rete omnium ſubtiliſſimum, quod in ſtatu ſano vix ſanguinem rubrum, ſed tantum lympham ſeu tenuiorem ſanguinis partem vehit, & per ramificationes pulpoſas ſeu tomentoſas oſculis ſuis in cavum inteſtinorum deſinunt. Vid. *Celeberr.* BOERHAAVIUS *Inſtit. Med.* §. 92.

§. IX.

Venæ inteſtinorum quoque a meſaraicis proveniunt, ſcil. a meſenterica ſuperiore vel magna proprie ſic dicta, & inferiore eaque minore & hæmorrhoidali vocata, quæ arteriarum individuæ comites eundem decurſum, non minus ſimiles ac hæ arcus & inſulas formant, & mirabiles anaſtomoſes conficiunt, tandemque ſanguinem ad venam portæ revehunt. Harum venarum ramificationes laterales minimæ eadem ratione ac arteriæ, aſt majoribus orificiis in inteſtinorum cavum hiant. *Conf. Celeb.* CHRIST. BERNH. ALBINI. Diſſ. de tunicis inteſtinorum pag. 54.

§. X.

Nervos inteſtina a plexibus vicinis ſcil. meſentericis, quorum tres ſunt, ſolaris, meſentericus

ſuperior & inferior, accipiunt ; qui e pluribus propaginibus nervi utriusque intercoſtalis, & ramificationibus octavi paris contexti ſunt, lumborum vertebris accumbunt, & vaſa meſaraica circumligant. Hi nervei plexus fibras, quaſi radios quaquaverſus in orbem diſpergunt, easque maximam partem inteſtinis largiuntur. Vid. RAYM. VIOSANI *Nevrograph.* Tab. XXIII.

§. XI.

De craſſis inteſtinis illud adhuc eſt notandum, quod horum tunicæ ſint craſſiores, tenuibus, cavitas amplior, contenta ſpiſſiora, vaſorum ſanguivehorum copia minor, lacteorum defectus, aut ſaltem pauciſſimorum præſentia, nervorum item minor quantitas, anfractuoſus decurſus minus notabilis. Sic & inteſtinum duodenum etiam a coronaria & pylorica, quæ cœliacæ dextræ ſoboles ſunt, quibusque ramificationes meſaraicæ ſuperioris accedunt, arterias ſuas mutuantur, nec non quod ad inteſtinum rectum vaſa quoque hæmorrhoidalia externa utriusque generis ab hypogaſtricis pullulantia & cum internis communicantia, tendant.

§. XII.

Hactenus de ſitu & fabrica inteſtinorum, nunc etiam ad meſenterium his arcte annexum progrediendum eſt. Meſenterium eſt pars membranacea

duplex cum interjecta pinguedine, ſitum inter inteſtina medium obtinens, in ſinu & duplicatura ſua ſita ſunt omnis generis vaſa, arteriæ ſcilicet venæ meſaraicæ ſupra dictæ, vaſa lactea, nervi, plurimæ glandulæ ſitu & magnitudine diverſæ, inteſtinis undique annexum eſt; eum in finem, ut longiſſimum hunc canalem in ſitu ſuo ſervet, vinculique loco ſit, ne a motu naturali vel extraordinario inde dimoveatur.

§. XIII.

Ex fabrica, ſitu & connexione, cum aliis partibus viſcerum modo deſcriptorum; ratio facile depromi poterit, cur inteſtinorum canalis adeo frequenter a variis cauſis dolorifice afficiatur; quia nempe illi ingens & arctiſſimus conſenſus, ob communionem tum nervorum & vaſorum, tum membranarum &c. cum capite, pectore, renibus, hepate, aliisque partibus nobiliſſimis intercedit; Hinc tanta ſymptomatum multitudo & vehementia huic affectui ſpasmodico jungi ſolet.

§. XIV.

Poſteaquam in ſuperioribus ſedem genuinam hujus mali expoſui: tranſeundem mihi nunc eſt ad Colicæ ſanguineæ deſcriptionem hiſtoricam. In Veterum ſcholis Colica vulgo in bilioſam & flatulentam diſpeſci ſolebat, ad hanc aliqui referunt pituitoſam. Sanguineam

guineam vero in plethoricis præſertim, ab iis cauſis, quæ ſanguinem nimium in vaſis intra tunicas inteſtini decurrentibus accumulant aut ſtangnare faciunt, excitari poſſe maxime hoc tempore innotuit. De qua Vid. Celeb. FRID. HOFFMANNI *Med. Rat. Syſtem. Tom. IV. Part. II. Sect. II. Cap. 5.* Licet Veteribus hoc morbi genus incognitum fuiſſe videatur, tamen apud HIPPOCRATEM *de intern. affection.* §. 49. Hæmatitis Ilei nomen occurrit, per quod morbum quendam inteſtini ilei a ſanguine ortum, deſignaſſe *Celeb.* STAHLIUS *in Diſſ.* de *Hæmorrh. internar. motu & ileo Hæmatit. Hipp. cap. 3.* prolixius expoſuit. FOESIUS autem HIPPOCRATIS optimus Interpres in Tract. *Oeconomia Hippocratis* inſcripto admodum ſuſpectum eſſe hunc locum & non carere mendo judicat. Quibus addo, quod ſymptomata de Ileo hoc Hæmatite ab HIPPOCRATE loc. cit. enumerata morbo huic vix conveniant.

§. XV.

Colica ſanguinea, quæ conſiſtit in ſpaſmodica contractione & tenſione partium membranaceo nervearum a ſanguine intra tunicas inteſtinorum ſtagnante & vaſa ultra modum diſtendente continuique ſolutionem minitante orta; non ſolum parti affectæ atrociſſimos dolores conſtrictorios, tenſivos, lancinantes, pungitivos &c. infert, ſed & dolorum atrocia ulterius ſe expandit, & ob conſenſum nervorum

vicinas

vicinas etiam partes dolorifica conſtrictione afficit. Hinc febris accenditur non lævis, ſed ſatis vehemens atque acuta, imo & inflammatoria, quæ forſan non male ad illarum familiam refertur, quæ a Celeberrimis Viris, GEORG. BAGLIVO, *Prax. Med. Lib. I. c. 9. §. 5.* & FRID. HOFFMANNO *Med. Rat. Syſt. Tom. IV. P. I. Sect. II. c. 12.* meſenterica ſeu inflammatoria ex meſenterio nuncupata eſt: abdominis & umbilici intus retractio, alvi conſtipatio pertinaciſſima, ut ægri quandoque ſibi herniam inquinalem contrahant, ſub præcordiis extremas anguſtationes percipiunt; Interdum vomitus ſimplex aut etiam cruentus vel ſaltem conatus vomendi, ſingultuoſæ affectiones, difficilis reſpiratio, aliaque pathemata atrocia pro circumſtantiarum diverſitate, ratione partis affectæ & cauſarum oboriuntur.

§. XVI.

Quum noſter affectus habeat diverſas cauſas & conſequenter varia poſt ſe trahat ſymptomata omnino diverſa, illum tanquam morbum generaliorem agnoſco, qui alias adhuc ſpecies ſub ſe comprehendit. Nam bene diſtingui meretur, illa Colica ſanguinea, quæ plerumque in plethoricis, ſanguinem, intercedente cauſa aliqua externa, commotum & in inteſtinis juſto copioſius accumulatum, propter eaque illis in locis ſtagnantem pro cauſa habet, in qua nulla diſpoſitio ad hæmorrhoides, nullus ſanguinis fluxus

conſuetus cohibitus vel ſuppreſſus, vel alia ſanguinis excretio critica ſuppreſſa vel retropulſa in culpa eſt, & quia ab alio morbo prægreſſo neque generatur neque fovetur, ſimplex & idiopathica dici poterit, quæ a ſympathica nempe hæmorrhoidali, hyſterica & nephritica aliisque ideo etiam probe diſtinguenda eſt, ut cuilibet ſpeciei medendi methodus adhibeatur opportuna.

§. XVII.

Diſcrepat igitur hac colica idiopathica modo dicta ab Hæmorrhoidali, utut ſymptomata quandoque inter ſe conveniant, in eo; quod ſcil. colica hæmorrhoidalis ſtricte ſumta, ea affligere ſolet ſubjecta, quæ ad hæmorrhoides diſpoſita, & ante hac hunc fluxum experta fuere, aut ſi ſanguis per ſedis venas ob varia impedimenta perrumpere haud potuit, molimina remotiora vel propiora ad eundem tendentia ſenſerunt. Obtingit etiam hæc colica hæmorrhoidalis non in alia ætate, quam quæ motibus hiſce atque excretionibus reſpondet, nempe in provectiore. Colica autem ſanguinea altera in pluribus ſubjectis & in aliis etiam ætatibus indiſcriminatim fere obſervatur; hinc quandoque endemia & certis regionibus admodum familiaris eſt, id quod *Celebr.* FRID. HOFFMANN. *Med. Rat. Syſtemat. Tom. IV. Part. II. Sect. II.* Cap. 5. annotavit. Sic etiam diſtinguitur Colica Hyſterica, ratione cauſæ & ſedis morbi,

morbi, uti etiam ſymptomatum; Hyſterica quippe provenit, a fluxu menſtruo impedito vel penitus ſuppreſſo, & ſedes hujus mali eſt in utero; neque minus differt ille colicus dolor a noſtro, qui puerperis accidit, in quo ad fluxum lochiorum nunquam non reſpiciendum eſſe arbitror.

§. XVIII.

Diſtingui porro meretur Colica illa nephritica. Quamvis horum affectuum ſymptomata quædam communia & fere eadem deprehendantur, imo etiam eorundem magna ſit συζυγία & complicatio; quod ſæpius in hæmorrhoidali obſervatur. Nam ſanguis, cujus excretio in hæmorrhoidariis per ſedis venas, deficit, haud raro ad renes regurgitat, ibique congeſtionem, ſtagnationem, imo & inflammationem atque calculoſam diſpoſitionem progignit. Hinc merito HIPPOCRATES pronunciat: *Nephriticis ſi hæmorrhoides fluunt, bonum.* In eo tamen differentia horum affectuum eſt poſita; quod nempe dolor nephriticus ſentiatur inſtar pali circa renem affectum infixi cum cruris plerumque ſpaſmodica contractione & ſtupore conjunctus; idem porro fluxus in regione lumbari & ſecundum ureterum tractum protenditur, cum vomitu aut vomendi conatu continuo, quod ſignum doloris renalis a calculo eſſe, teſtatur GEORG. BAGLIVUS *Prax. Medic. Lib. I. Cap. 9. §. 35.* Dein quod alvo per enema ſoluta remiſſio dolo-

doloris, ſi colicæ ſanguineæ ſubeſt, fiat, quod non contingit in nephritica; in hac vero ad urinam emittendam major adeſt ſtimulus & in paroxyſmo tenuis, aquoſa & ſubinde arenoſa apparet.

§. XIX.

Nunc ad differentias ratione partis affectæ progredior. Dolores pro diverſitate locorum diverſam etiam ſortiuntur denominationem; quum ſpaſmi exagitant inteſtina tenuia & quidem dolor circa umbilicum urget, dolor jejuno-vel ileo-colicus appellatur & omnium eſt acerbiſſimus; Si in confiniis hypochondriorum, craſſa, & præſertim inteſtinum colon eſt affectum; ſi dolor acutus ſupra umbilicum & ſub ventriculo cum nauſea & vomendi conatu, indicium præbet, laborari ejus coli tractum transverſalem, qui infra ſtomachum a dextro ad ſiniſtrum latus exporrigitur; ſi in dextro hypochondrio ſub coſtis ſpuriis urget dolor, correptum eſt coli principium, ubi ileo committitur, anfractumque; qui jecinori ſuccumbit & reni dextro ſuperincumbit, qui dolores coli ſtricte ſic dicti nominari merentur: Quando autem, in infima abdominis parte circa os ſacrum in ſiniſtro latere ubi muſculus pſoas; inteſtinum rectum ex parte cum colo laborat, dicitur dolor Hæmorrhoidalis internus; quod ſi vero ſanguis in vaſis hæmorrhoidalibus externis firmiter hæret atque ſtagnat, graviſſimus quoque oritur dolor; qui vocatur hæmorr-

morrhoidum externarum vel cœcarum. Liceat quoad convenientiam colicæ ſanguineæ cum hæmorrhoidali, cogitata mea Lectori hic aperire; nempe cogitavi annon dictâ colica, in qua ſanguis in ſuperiorum inteſtinorum vaſis ſtagnat eaque multum diſtendit, cum hæmorrhoidibus cœcis comparari poſſit? & annon, ſi quando idem humor ex oſculis vaſorum apertis prorumpit, fluxumque, quem hepaticum forſan vocare licet, generat, cum hæmorrhoidibus fluentibus conveniat? quod vero ulteriori eorum, qui ſolidiore in pathologicis ſcientia & firmiore in praxi clinica experientia pollent, diſquiſitioni relinquo.

§. XX.

Præterea de doloribus inteſtinorum id maxime adhuc annotandum venit; quod horum dolorum cauſa quandoque longe aliam ſedem habeat fixam, quam ubi eorum ſenſatio moleſta percipitur: Hinc jure meritoque Colica hæc ſpaſmodica ſeu ſanguinea, vocari poteſt ſympathica; ſic nihil frequentius contingit, quam quod renibus affectis adjungantur tales abdominis cruciatus, ut nephritis ſæpius a Colica ſanguinea difficulter diſcerni queat, cujus jam ſupra mentionem fecimus; utraque hæc paſſio in colica nephritica complicata eſt, ita ut, renum alterutro affecto, illa coli portio, quæ iſti accumbit, ob loci viciniam non poſſit non in conſenſum trahi. Sic quoque non raro fit, ſedem fixam dolorum inteſtinalium acutiſſimorum in meſenterio reſi-

 dere;

dere; ſpaſmodica quippe vaſorum meſenterii conſtrictione facta, a ſanguine ibidem delato & ſtagnante, ſtatim ob arctam connexionem, annexus inteſtinorum tractus in conſenſum trahi & ab atrociſſimis doloribus corripi ſolet. Colicam ab irritatione nervorum meſenterii proveniſſe FERNELIUS jam annotavit. Ex abſceſſibus meſenterii Colicam periodicam ſubortam eſſe *M. N. C. Cent. I. & II. obſ. 14.* teſtantur, ejuſdem etiam a calculo in veſica fellea BALLONIUS *Lib. II. Epidem. pag. 253.* item *M. N. C. Dec. I. Anno 6. & 7. obſerv. 220.* mentionem faciunt.

§. XXI.

Supereſt, ut paucis mali noſtri differentiam a Colica bilioſa & flatulenta ſeu humorali ſubnectam. Colica bilioſa dignoſcitur ex voce rauca, oris amaritie, ciborum faſtidio, vomitu materiæ bilioſæ porraceæ, & ſi diarrhæa concurrit, in excrementis vitellinæ & æruginoſæ bilis nonnihil conſpicitur. Flatulenta autem e majori diſtenſione & inflatione, ructibus & flatibus catotericis borborygmisque hinc inde per ventrem diſcurrentibus. Sedem hæc ſuam maxime in inteſtino colo habet. Signa diſtinctiva Colicæ ſanguineæ longe aliter ſe habere, ex antecedentibus eluceſcit.

§. XXII.

Nunc de ſubjectis, quæ a noſtro morbo corripi obſervantur, verba quædam facere lubet: Colica ſan-

ſanguinea accidere ſolet ſubjectis euſarcis, plethoricis, temperamento ſanguineo - cholerico & melancholico; præſertim autem iis, quibus conſuetus hamorrhoidum fluxus ſponte ſuppreſſus, vel arte, ſed male, cohibitus eſt, aut molimina hæmorrhoidalia exitum non inveniunt, hincque ad inteſtina ſuperiora regurgitant. In ſexu ſequiori, quibus ſanguinis menſtrui fluxus aut juſto parcior ſuccedit, aut omnino impeditus atque ceſſat. Item illis, qui vini potu ejuſque generoſi liberaliore utuntur, ne dicam abutuntur, lautioreque fruuntur victu, ſimul vero otioſam & ſedentariam vitam agunt. Porro ea ſubjecta, quæ nephritide infeſtata, quæ ſanguinis evacuationes artificiales a longo tempore intermiſerunt; Item quæ genere nervoſo ſenſibiliore prædita, quæ venere abutuntur, quæ herniis & obſtructionibus viſcerum laborant, facile in hunc morbum delabi poſſunt.

§. XXIII.

Hiſce præmiſſis ordo jam poſtulat, cauſam proximam ſeu immediatam paucis exponere. Illam autem ponimus in præternaturali & ſpaſmodica conſtrictione tunicarum nerveo-muſculoſo-membranacearum; Cui anſam præbet atque occaſionem congeſtus, in vaſis inteſtini canalem irrigantibus, intra dictas tunicas, ſanguis ibidem ſtagnans, vaſa ultra modum diſtendens, atque ſolutionem continui minitans; Unde moleſta hæc & valde ſenſibilis paſſio natales ſuos habet.

§. XXIV.

A cauſa noſtri morbi proxima ad antecedentem ſeu προηγουμένην tranſitus eſt faciendus, quæ in nimia humorum abundantia ſeu plethora quærenda eſt. Per plethoram autem non intelligimus quamcunque humorum copiam, ſed eam tantum, quæ inutilis, quæ ſuperflua & ad ſanitatem tuendam minus idonea eſt. Nam quamdiu viæ ſanguini capiendo & fibræ motrices eidem propellendo ſufficiunt, copia ſanguinis minus lædit, ſed tum demum, quando humor hic vitalis præter quod redundat, orgaſticus quoque redditur, qui ſtatus p. n. plethora commota appellatur, inſuper majori in quantitate vaſis infertur, quam illa capere poſſunt, aut reſiſtentia fibrarum motricium potentiam debilitat; motus & partium robur langueſcit, vireſque deficiunt, ſe- & excretiones minus rite peraguntur, ſanguis ſpiſſior evadit, ejuſque circulus tardior lanquidiorque per univerſum vaſorum ſyſtema fit; ex quo varii generis morbi utique pullulant & ſubinde ſpaſmi, dolores, febres, decubitus, obſtructiones viſcerum &c. oboriuntur.

§. XXV.

Cum ex antecedentibus pateat, nimiam ſanguinis quantitatem in univerſo vaſorum ſyſtemate tardioris progreſſus cauſam eſſe; non difficile erit cognitu, eum adhuc impeditiorem fieri in iis partibus ac locis, per quæ ordinario & ſecundum naturam paulo

tardius

tardius ille fertur, quod maxime fit in ſæpius allegato inteſtinorum canali pariter ac meſenterio; & quidem in meſenterio id adſcribendum eſſe cenſeo, pinguedinis intra membranas contentæ multitudini, quæ in aliis etiam partibus vaſorum tonum relaxat, adeoque humorum motum retardat. Et lentus hic ſanguinis circulus in vaſis meſenterii majoribus remoram quoque injicit liquori in minoribus & minimis, quæ inteſtinorum membranas perreptant, propaginibus: quo impeditiore atque tardiore circulo, in iſtis partibus, ob copioſiſſima minima vaſa ſanguiveha, quibus gaudent, & ob peculiarem tunicarum ſtructuram, quæ non adeo validam nacta ſunt reſiſtentiam, ob deficientem in hos reactionem, ſanguis leviſſima de cauſa ſubſiſtere poteſt & ſolet.

§. XXVI.

A cauſa antecedente me nunc converto ad cauſas ſic dictas non naturales; Inter has autem primum locum tenet Aer. Maxime omnium vero vehemens frigus & nimia humiditas corpus noſtrum lædit. Frigus eos maxime morbos fovet, qui a ſpaſmo ſeu nimia fibrarum ſtrictura proficiſcuntur. Humidum vero exceſſivum, ideo maxime inimicum corpori eſt, quia ſolidas partes & fibras nimium relaxando, tono & robore ſuo exuit, ut deinde ſtagnationibus pateat aditus promtiſſimus. Nocet vero vehemens frigus, quam maxime iſtis ſolidis exquiſitioris ſenſus partibus, qua-

rum præcipuæ ſunt inteſtina. Experientia enim quotidiana confirmatur, multos ab improvida frigoris, infimi ventris vel pedum, præſertim corpore æſtuante, admiſſione, ſibi acerrimum hoc malum contraxiſſe. Præterea idem frigus externum corporis habitum conſtringit, tranſpirationem inſenſibilem imminuit, inde fit, ut humores ad inteſtina facile regurgitent, ibique ſymptomata jam recenſita inferant.

§. XXVII.

Aerem jam excipit in ordine cauſarum non naturalium cibus & potus. Si nimirum plus ingeritur quam egeritur, inducitur plethora, magis ſi accedat otioſum vitæ genus, quam ſequitur ſpiſſitudo humorum,& ſic fores graviſſimis morbis panduntur; dum inter movens &movendum neceſſaria illa proportio læditur hincque crudi & viſcidi ſucci in ſanguine congeſti & ventilatione minus depurati nec ſufficiente motu inteſtino ſubacti, vaſa inteſtinorum facile plus juſto implent, ibique ſtagnationem inducunt. Uti autem nimia ingeſtorum quantitas, ita pariter qualitas eorum noxia ad malum noſtrum generandum confert: quorſum refero alimenta calida aromatica, dyſpepta, viſcida, ſalſa, fermentescibilia &c. Suum quoque ſymbolum addit nimius vini potus, præſertim acidi, non bene defœcati, & omnium liquorum ſpirituoſorum abuſus. De motu corporis ſubjungere placet, quod nimius & diutius protractus, præprimis tempe-

ſtate

ſtate calida ſanguini orgaſmum conciliet, & ab hoc non raro congeſtiones fiant, ut immoderatam quietem eundem effectum ſed diverſo reſpectu habere, ſupra diximus.

§. XXVIII.

Huc quoque pertinent valida purgantia, & pellentia incongrue propinata. Purgantia fortiora motum periſtalticum inteſtinorum valde adaugent, quo aucto humores majori in quantitate ad has partes invitantur, præſertim ſi a particulis acrioribus in purgante contentis tunica villoſa multum laceſſitur, quo facto æquilibrium inter partes ſolidas & fluidas tollitur, & via ad ſtagnationes in illis certa paratur; Novimus quoque ab operatione fortioris medicamenti purgantis, qua tunica intima inteſtinorum villoſa fortiter irritata fuerat, quosdam in inteſtinorum & meſenterii abſceſſus incidiſſe. Eodem modo ſe res habet cum pellentibus incongrue adhibitis, menſtruo, lochiali aut hæmorrhoidali fluxu non rite ſuccedente, quibus humores quoque in copia ad partes advehuntur, exitu autem, ob deficientem diſpoſitionem, aut ſanguinis lentorem, aut viarum exilitatem, denegato, facile ibidem ſtagnant.

§. XXIX.

Præter hæc etiam excreta & retenta huic morbo occaſionem & fomitem ſuppeditant. Quod ſi ea,

quæ

quæ alias provida natura e pomœriis corporis proſcribere conſuevit, præter naturam in eo juſto diutius detineantur, multum ad hunc morbum inferendum, conferunt. Solet enim natura, ſalutari conſilio, illud, quod ſuperfluum, quod alteratum & corruptum, quod etiam intemperie infenſum, tanquam noxium e corpore eliminare. Hoc ſi variis de cauſis minus contingit, excernenda hæc ob moram, magis corrupta & pejora reddita, varia utique inducunt incommoda. Ita quotidiana addiſcitur experientia, quam gravia ſymptomata ſolennes illæ & conſuetæ ſanguinis evacuationes cohibitæ vel ſuppreſſæ, ſuſcitent, ſcil. ſpaſmos, dolores, inflammationes, febres, humorum metaſtaſes, vel plane irregulares excretiones ratione loci minus commodi. Longe vero deterioris generis ſunt ii morbi, qui ex materia repulſa, quæ in morbis critice e corpore noſtro eliminanda erat, ſubnaſcuntur. Si forte contingit, ut illa ipſa ad inteſtina transferatur, tunc atrocia tormina, pertinaciſſimas alvi conſtrictiones vel etiam inflammationes procreat. Præ aliis vero noſtro malo præbet fomitem fæcum alvinarum excretio impedita: quando enim illæ juſto diutius in inteſtinorum canali hærent, indurantur, indurata eum diſtendunt, vaſa comprimunt, ſanguinisque ſtagnationem pariunt; uti id in hæmorrhoidibus cœcis obſervare licet, quæ a ſcybalis induratis vel generantur vel ſaltem foventur & exacerbantur.

§. XXX.

§. XXX.

Reſtant adhuc animi pathemata, quæ ſuum quoque calculum addunt. Agunt vero ejuſmodi inordinatæ commotiones proxime & primario in partes ſolidas, quarum tonum ſubito immutant; unde graviſſimæ actionum læſiones contingunt. Iracundia ita comparata eſt, ut ſanguinis circulum per intenſiorem ſyſtolen & diaſtolen, citatiorem reddat. A quo adaucto, prout corpus diſpoſitum eſt, ſuſcitantur mala; ſi jam ſanguis poſt iram copioſius ad vaſa inteſtinorum propellitur, quam canalium ſanguiferorum diameter apta nata eſt, & jam antea tonus labefactatus in iis partibus fuit, facile ſanguis illic ſubſiſtere, & ſi non mox diſcutitur profundior ſtaſis accedere poteſt.

§. XXXI.

Sicuti vero in ira vehementiori ſanguis magno cum impetu per univerſum corpus ruit, & a centro ad circumferentiam pellitur; ita longe alia & contraria prorſus eſt terroris indoles, in quo, partibus externis ſpaſmodice conſtrictis, ad interiora cruor reprimitur, ejusque circulus plane inæqualis efficitur. Fiunt hac ratione ingentes circa partes internas congeſtiones & humorum metaſtaſes, gravium morborum genitrices. Longior vero & gravior triſtitia ac mœror, eos maxime morbos, qui a laxitate & ato-

nia proficiſcuntur, fovet atque ſuſtentat, eo, quod vires occulta quadam vi conſumit, fibrarum tonum ac robur ſolvit, & ita humorum circulum lentiorem reddit, quare ſtagnationes accidunt. Sic quoque huc referendus eſt immoderatus amoris affectus & veneris abuſus, qui quatenus modo nimium in partibus fluidis motum ſuſcitat, modo etiam vires & robur ſolidarum reſolvit ac plane dejicit, ita omni jure noſtri mali cauſa eſſe poteſt.

§. XXXII.

Conſideratis ita affectus noſtri cauſis, recenſendi nunc ſunt ſalutares atque ſiniſtri ejuſdem eventus. Quod ſalutares attinet, ſæpe numero horum dolorum ſævitia citius remittit, ſi alvus reſeratur: facilior etiam remiſſionis impetrandæ ſpes eſt, quando hæc colica ſedem ſuam, quam occupavit, mutat: *vid. Celeb.* GEORG BAGLIVUS *Prax. Med. Lib. I. c. 9.* §. *30.* de colica in genere ſic verba faciens: *Excrementa non retineri, dolorem locum mutare, nec non & intermittere, ſalutem brevi promittunt.* Solvitur quandoque etiam hic torminoſus dolor, tranſpiratione ſenſibili aucta, aut leni ſudore, hæmorrhagia narium, & præ omnibus hæmorrhoidum in viris, in fœminis menſtruo vel lochiorum fluxu ſuperveniente; porro purpuræ ad externas partes expulſione, aut arthritide & podagra ſuccedente, vel macularum ſcorbuticarum proventu.

§. XXXIII.

Minus ſalutariter terminari judicatur Colica ſanguinea, ſi quando dolores ſunt acerbiſſimi, uno loco firmiter fixi & nunquam intermittentes. *Conf.* GEORG. BAGLIV. *Prax. Med.* l. c. Sic ſcribens. *Cum dolor colicus fixus & febris adeſt, in abſceſſum terminare ſolet &c.* Omnis diuturna alvi occluſio concurrens morbum hunc acerbiorem reddit: ſi febris aucta invaleſcit, ſi magnus ſudor ſupervenit, malum vel in veram paralyſin, vel in notham, ſive pareſin terminatur: ſi convulſiones, deliria, aut aliæ graves capitis affectiones accedunt, ubi urgent vigiliæ, commotiones ſingultuoſæ, vomitus, atque repentinæ & ſimultaneæ dolorum ceſſationes cum nimia virium proſtratione ſuperveniunt, ſphaceli præſentiam in inteſtinis indicant, & finem vitæ faciunt.

§. XXXIV.

Cura hujus morbi in paroxyſmo eſt inſtituenda, prout ab his vel illis cauſis fovetur: cauſas autem hunc affectum excitantes mirum inter ſe differre, ex antecedentibus perſpicere licet, ita quoque diverſam medendi methodum & medicamenta varia pro cauſarum diverſitate expoſcit, ut cuilibet ſpeciei conveniente & appropriata medela proſpiciatur.

§. XXXV.

Methodus medendi in Colica ſanguinea ſimplici, ſeu idiopathica, ad ſequentes ſcopos dirigenda erit; ut 1.) dolorifica illa tenſio atque conſtrictio partium membranaceo-nervearum inteſtinalium mitigetur, & profundior ſtagnatio avertatur, 2.) ſanguinis orgasmus temperetur, 3.) præſens jam ſtagnatio diſcutiatur, & ulterior ſanguinis affluxus ad partem affectam inhibeatur, 4.) Tonus partium roboretur.

§. XXXVI.

Quoad primam indicationem ſpaſmi illi dolorifici ſunt demulcendi; hi enim ut ſæpius tanquam ſymptoma urgens attendi ac conſiderari merentur, ita quoque ante omnia, in ſubjectis præprimis ſenſibilioribus, mitigationem ſui expoſcunt. Quem in finem merito commendari dicuntur interna ac externa. Inter illa locum habent pulveres temperati, antiſpaſmodici, leniter nitroſi & cinnabarini, v. gr. Pulv. antiſpaſmod. Stahl. Specif. Cephal. Michael. pulv. antepilept. March. ſuccin. præp. Lumbricor. terreſtr. præp. &c. nec non liquor anodyn. mineral. Hoffmann. cum ſpirit. caſtor. compoſ. Londinenſ. pauca quantitate mixtus, ut & infuſ. chamomill. & millefol. Præterea ſperma ceti, uti in quovis colicæ genere, ita & in hoc, ſolum, vel cum gumm. arabic. ſpecieb. diatragac. frigid. aliisque maritatum, egregie

ſe

ſe gerit. *Vid.* SORBAIT *Prax. Med. cap. de colica* & SINAPIUS *de remed. dolor. c. 4. §. 8.* qui Poſterior modo laudatum Ceti ſperma pro anodyno ſingulari venditat, Prior autem illud cum vino malvatico propinandum ſuadet, quod vehiculum vero in flatulenta tutius, quam in noſtra ſuaderi cenſeo. Non minus ol. amygd. rec. expr. cum ſubdupl. ſyr. violar. vel dialth. Fernel. portione ſumtum, prodeſt.

§. XXXVII.

Ad fibras porro ſpaſtice tenſas relaxandas & ulteriorem ſtagnationem avertendam, quoque externa conducunt, & quam maxime clyſteres ex oleoſis maxima ex parte, & mucilaginoſis, vel cum lacte parati, inſerviunt; fomentationes item ex Herb. Rad. & Flor. diſcutient. & paregoricis vel in forma ſicca in ſacculo, addita camphora & croco, vel cum lacte cocta, & veſicæ indita ſimilia ingredientia, parti affectæ applicentur: Cavendum autem ne talia epithemata nimis calide adhibeantur, aut juſto diutius relicta frigeſiant. Huc ſpectant etiam, præſertim ſi enemata propter nimiam ſtricturam inteſtinorum applicari non poſſunt, inunctiones abdominis cum variis oleoſis & pinguedinoſis, utpote quæ ſtricturam fibrarum egregie relaxant; item balnea temperate calida præſertim ſemicupia.

§. XXXVIII.

Quod ſi his debite adhibitis medicamentis intentionem obtinere non datur, quin potius dolor continuet, inſuper ſuſpicio inflammationis accedat, ſupra laudatis pulveribus aliquot grana camphoræ, dimidia nempe grani parte pro doſi computata, addi poterunt. Non ſine fructu etiam adhiberi poſſunt emulſiva, e. gr. Emulſio violat. Mynſ. vel ſequens; ℞. ſem. 4. fr. major. aa. ʒj. Card. Mar. ʒij. papav. alb. ʒj. cum decoct. C. C. vel hord. ℥viii. vel Aq. papav. rh. Card. mar. Scorzoner. aa. ℥iij. f. l. a. emulſio add. Matr. perlar. præp. ſuccin. præp. aa. ʒß. ſacchar. perlat. q. ſ. ad grat. ſapor. d. ad uſum. Si autem æger de immani dolore conquereretur & ſumma neceſſitas urgeret, pulveri antiſpaſmodico Theriac. cœleſt. vel maſſ. pil. de cynogloſſ. vel de ſtyrace gr. 1. vel alterum addi poterit, ſed circumſpecte, & hac cum cautela, ut non unus, ſed aliquot clyſteres prius injiciantur.

§. XXXIX.

Quoad IIdam. indicationem V. S. in brachio eſt inſtituenda & quidem ampliore inciſura, & pro circumſtantiarum ratione aliquoties repetenda in paroxyſmo, tempore etiam æquinoctiali præſertim in plethoricis atque aſſuetis non negligenda. Præterea ſanguinis æſtum compeſcunt ſupra commendata nitroſa, paulo largius data, ut & cinnabarina cum lapid. cancr.

cancr. acido citri ſaturatis, aut cum pulvere abſorbente Wedel. mixta addito pro diaphoreſi facilitanda Antimon. diaphor. nec non pulv. caſtor. tantillo; præprimis ſi hyſterici quid concurrit. Sedulo cavendo, ne carminativa calidiora, quæ in flatulenta in uſum veniunt, hic adhibeantur, ne malum exacerbemus; verum nonniſi lenia & temperata, quale eſt ſpirit. nitr. dulc. quin potius, quod parodoxum multis videbitur acida & refrigerantia a quibus in alio colicæ genere nemo non abhorret, ſuadenda ſunt: ſcilicet ſuccus citri ſive limonum cum ſale abſinth. quem TH. SYDENHAM extollit, vel julapia acidula, mixturæ ex aq. temperantibus & pulv. abſorb. paratæ addito acet. deſtill. quod FRID. HOFFMANN. ſolenne eſt. Neque vereor aquæ frigidæ potum majore in copia quotidie aſſumtum commendare, ductus authoritate *Cel.* FRID. HOFFMANN. qui uti in pluribus aliis morbis vel præcavendis vel avertendis, ita & in noſtro, medicinam hanc ſimpliciſſimam ſumme proficuam ſuadet; *Vid. Med. Rat. Syſt. T. IV. P. II. Sect. II. c. V. obſ. 4. & 5.* ubi memorat colicam ſanguineam aquæ frigidæ potu curatam eſſe. *Conf. Ejusdem Diſſ. de Aq. Med. Univ.* Neque mirum, diluit quippe, attenuat ſanguinem, ejuſque æſtum contemperat. Sit vero illa ipſa bonæ notæ, neque nimis frigida hauriatur. Dictis balneum aquæ dulcis interponatur.

§. XL.

§. XL.

Indicationi III^æ. ſatisfit etiam venæſectione modo laudata. Cujus inter mirabiles proprietates ea fere præcipua eſt, quod ſanguinis partem evacuando ſtagnationem ſtaſi proximam præoccupet aut avertat, æquabilioremque ei circulum conciliet, inſuper partes ſolidas nimis conſtrictas relaxet, & nimium affluxum ulteriorem impediat. Alvus etiam aperta continuo ſervetur enematibus ſupra laudatis, præprimis etiam morbo quatantenus lenito, lenia laxantia conducunt, maxime in ſubjectis, quorum primæ viæ impuritatibus ſimul ſcatent. Commendari idcirco merentur infus. laxativ. Vienens. infuſ. fol. ſen. & rhabarb. Pil. Becherian. Tinct. rhabarb. Liq. aperit. mineral. Argent. Sal Ebſomens. Sedlizens. &c. repetitis vicibus propinata. Huc pertinent quoque derivationis ſcopo pediluvia & maniluvia, nec non e topicis diſcutientia §. 37. commendata, vel etiam Epithema ſæpius laudatum FRID. HOFFMAN. uſitatum ex herb. abſinth. card. ben. ſcord. Flor. ſambuc. chamomill. rom. ſem. leviſtic. cumin. in vino coctis paratum.

§. XLI.

Sublata ſic doloris cauſa & mitigato morbo ad IV^tam. indicationem progrediendum eſt, qua tonus partium a ſtricturis ſpaſticis diuturnioribus dejectus robora-

ri

debet. Ad hunc obtinendum præ aliis medicamenta balſamica & tonica conducunt, v. gr. Tinct vitriol. Mart. tartar. Ludovic. cum Eſſ. millefol. Cort. Aurant. pimpinell. remixta; vel Elix. Viſceral. balſamic. Hoffman. ſine menſtruo ſpirituoſo paratum; item Trageæ, aliique pulveres ſtomachici.

§. XLII.

Quando Colica ſanguinea originem ſuam duxerit a conſueto hæmorrhoidum in viris, in fœminis autem menſium vel lochiorum fluxu minus ſuccedente, moliminibus nihilominus ſubſiſtentibus, V. S. in pede eſt adminiſtranda, vel hirudines venis ſedis applicandæ, ſi ſcilicet hæ turgent; de reliquo eadem medendi methodus uti in præcedenti locum invenit, niſi quod extra illud tempus (cum indubiæ ſit experientiæ, fœminarum ſanitatem a ſanguinis per uterum ſingulis menſibus proportionato fluxu, & plurimorum virorum valetudinem a fluxus hæmorrhoidalis ratione & modo decente dependere, nec non ab eorum anomaliis utrumque ſexum graviter affligi) omni cura ac ſtudio eo reſpiciendum ſit, ut hi fluxus iterum in ordinem redigantur.

§. XLIII.

In dolore Colicæ ſanguineæ, qui a materia retropulſa exanthematica, vel excretione critica, proficiſcitur, ante omnia ad morbum prægreſſum reſpi-

ciendum & eo annitendum eſt, ut humores ad interiora propulſi, ad exteriorem corporis noſtri habitum rurſus invitentur; id quod optime præſtatur lenibus diaphoreticis, infuſis theiformibus calide propinatis, non neglecto regimine diapnöen promovente, enematibus inſuper emollientibus & demulcentibus haud intermiſſis. Si a prolapſu inteſtini in hernioſis, vel illa herniæ ſpecie, quæ incarcerata vocatur, colica ſanguinea inducta fuerit, medela in eo potiſſimum conſiſtit, ut illa manu chirurgica legitimo modo & debita arte reponatur. Quo facto ſi ſtagnationem ſanguinis in vaſis inteſtinalibus ſubſiſtere judicatur, ea omnia in ſubſidium vocanda ſunt, quæ ſupra commendata a nobis fuere, nempe emollientia & reiterata enemata, pulveres temperantes, antiſpaſmodici, V. S. in brachio, aliaque pro re nata ſeligenda.

§. XLIV.

Tandem etiam methodus præſervatoria extra paroxyſmum obſervanda, ne malum facile recurrat, paucis tradenda venit: in qua vitentur omnia, quæ ſanguinem augere, eumque in citatiorem motum ciere poſſunt, fugiatur quoque omnis frigoris, præſertim ad infimum ventrem & pedes admiſſio: diæta ſit exquiſita, a ciborum ingurgitatione, item a dyſpeptis, aromaticis & calidis, potu item inebriante & ſpirituoſo abſtinendo. Somnus & vigiliæ modum non excedant, motus corporis non ſit nimius & vehemens

hemens præprimis ſyrio ardente, ſed moderatus & continuatus : alvus aperta & reliquæ excretiones quantum poſſibile debito ſerventur ordine, omnes occaſiones ad nocentiſſimas animi perturbationes fugiantur, ratio ſtatus plethorici omni tempore habeatur, ventilationes ſanguinis debito tempore & loco ſuſcipiantur. Hæc pro ingenii tenuitate dixiſſe ſufficiant. Deo T. O. M. pro iis, quas mihi largitus eſt, viribus devotiſſimas æternasque perſolvo grates; L. B. autem eo, quo decet, modo rogito, velit qualescunque hoſce meos conatus meliorem in partem interpretari.

T A N T U M.